

Quando Faventia destructa fuit.

CAP. IV.

Sub anno itaque Dominicae incarnationis dcc quadragesimo, parato exercitu magno nominatus rex [a], maximis itineribus [b] et occultis, festinavit venire Faventiam; et Sabbatho sancto circa horam vespertinam, pater per portam Aemiliam, quae dicitur Imolensis [c], filius per Flaminiam [d] portam, quae est super fluvium, in civitatem subito intraverunt, omnes viros et mulieres, senes cum junioribus, quos invenerunt, in ore gladii perimentes. Populus totus tunc aderat pro pueris baptizandis [e] apud Sanctam Mariam foris Portam [21], ubi sedis erat [f] locus episcopalis, et inde episcopatus delatus est in ecclesiam Sancti Petri intra civitatem [22] iubente Romano Pontifice [A], et ecclesia Sanctae Mariae redacta est in monasterium, monasterio Sanctae Mariae in Afri in plebem converso [23]. Ex populo nempe pauci evaserunt, omnibus aliis interfectis, seu vinculis mancipatis. Cum autem hostes ad palatium regium, quod erat in podio Sancti Bartholomaei [23*] debellando venissent, iiii filii Valentini [g] de progenie regis Antonini orti, nomine Constantinus, Anthoninus, Thomas et Valentinus, pro patria mori volentes, et se viriliter defendentes, tres ex eis gladio detruncantur, ex quibus fratribus, reliquis occisis, evasit Valentinus. Hic Valentinus habuit filium nomine Thomam. Thomas genuit Johannem consulem; Johannes consul genuit alium Thomam. Hic Thomas aedificavit ecclesiam sancti Bartholomaei. Idem Thomas habuit tres filios, scilicet Constantinum, Valentinum et Ursum, ex quibus omnibus sunt omnes, progenies Caminicensium [24] usque in praesentem diem. Tota igitur civitate ultrici flamma combusta, et funditus aedificiis et turribus in terram prostratis, sicut vetustissima referente fama, quae usque ad nos manavit [h], didicimus, duos infantes cum sacco pleno [B] terra, rex in Lombardiam deduci praecipit. Nocte vero illa, qua [i] subpo-

fuisse existimes, textum ipsum, prout in cod. Manfr. habetur, diligenter et fideliter exscriptum hic tibi sisto. Post gloriosum Virginis partum dc. xxx cum Grimoaldus Lombardorum rex qui Albuino successit. Italiam campaniam. et apuliam preter romam. ravennam et favenciam hedificavit suo nomine. forum constituit. sub suo subiugasset regno. Pupillia vero civitas quam Pupillius romanorum nobilis homo et regali stirpe urbem vocaret. cepit ei esse rebellis. Eam in romanorum hodie quia eis favebat sicut rite debuerat. obsedit. Que habita occupans pupillienses cives quod suos in apuliam tendentes impedissent legatos. tota ergo civitate ultrici flamma combusta et funditus hedificiis et turribus in terram prostratis. nunquam suo tempore voluit rehedificari. Quo defuncto Faventini in romanorum servicio conferentes ei in lignis, victualibus et aliis necessariis eam rehedificarunt. que postea rehedificata sicut vetustissima referente fama que usque ad nos manavit ad instar oppidi permansit ad tempora multa. [a] Exercitu magno nominatus Rex. Locus in C. M. exesus et detritus coegit Cl. Mitt. sic supplere ut in testu. In C. V. legitur edicto regis parato exercitu rex. — [b] Maximis itineribus, C. V. In C. M. maximis temporibus. — [c] Imolensis, C. V.; ymolensis C. M.; nunc Porta Imolese. — [d] Flaminiam, C. V.; Framiniam C. M.; nunc Porta del Ponte. — [e] baptizandis apud, C. V.; batizandis apud C. M. — [f] ubi sedis erat locus episcopalis, et inde episcopatus. Hic vitiatus est codex Manfr.; ac nisi coniectura aut aliorum codd. ope utamur, vera lectio elici exinde non potest. Textus Manfr. sic habet: ubi sedis erat... vis ubi episcopatus etc. Nos emendavimus ut supra, partim ex C. V., partim ex C. Azzur. — [g] iiii filii Valentini, C. M.; quatuor filii Valentini C. V. — [h] usque ad nos manavit. Supple usque ad nos manavit. Deest enim ad nos, procul dubio amanuensis culpa, in codd. — [i] Nocte vero illa, qua,

[A] videlicet Zacharia, si Faventinorum scriptoribus vulgarique omnium opinioni credendum est.

[B] Historiola de duobus infantibus omittitur a Tondutio.